Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

cognoverit quid faciat? Responderunt et dixerunt ei: Numquid et tu galyleus es? Scrutare scripturas et vide quia propheta a galylea non surgit. Et reversi sunt unusquisque in domum suam.

Sed et admiranda est eorum securitas, quoniam ad phariseos qui contra Christum adversabantur venerunt et eis talia loquuti sunt. Nec tamen longum sermonem audierunt, sed breve. Sciunt enim mentes sinceras incorrupta non longis sermonibus opus esse. **Aug.** Pharisei tunc eorum testimonium repulerunt. Nam sequitur: Responderunt ergo eis pharisei: Numquid et vos seducti estis? Quasi dicant: videmus vos delectatos esse sermonibus illius. **Alchuinus.** Et revera laudabiliter seducti erant, quia dimisso malo infidelitatis transierunt ad fidem. **Criso.** Ab argumento autem insipienti contra eos sillogizant. Nam sequitur: Numquid ex principibus aliquis credidit in eum aut ex phariseis? Sed turba hec que non novit legem maledicti sunt. Hec autem est ipsorum accusatio, quoniam turba quidem credidit, ipsi autem non crediderunt. **Aug.** Qui enim non noverant legem ipsi credebant in eum qui miserat legem, et contempnabant illi qui docebant legem. Ut impleretur quod dominus dixerat: Ego veni ut non videntes videant et videntes ceci fiant. **Crisostomus.** Quomodo ergo maledicti sunt illi qui a lege suadentur? Vos potius maledicti estis qui non observatis legem. **Glosa.** Ideo autem suaviter et blande pharisei ministris respondent, quia dubitaverunt ne forte ab eis penitus segregentur et Christo adhaerent. **Criso.** Quia non dixerant quod nullus principum credidit in eum, ab hoc excludendum subiungit: Dicit Nichodemus ad eos, ille qui venit ad Iesum nocte, qui unus erat ex illis. **Aug.** Iste non quidem incredulus sed timidus. Nam ideo nocte veniebat ad lucem, quia illuminari volebat et sciri metuebat. Hic ergo respondit Iudeis: Numquid lex nostra iudicat hominem nisi audierit ab ipso prius et cognoverit quid faciat? Credebat enim quia si tantum in eum patienter vellent audire, forte similes fierent illis qui missi sunt tenere et maluerunt credere. Volebant autem illi prius ante esse dampnatores quam cognitores. **Aug.** Dicebat autem lex nostra de lege que data est, eo quod est ab illo data hominibus. **Crisostomus.** Ostendit autem Nichodemus eos nec cognoscentes legem nec facientes que sunt legis. Cum autem congruum esset ostendere quod non indiscrete miserunt vocaturi eum, rudius et iracundius utuntur contradictione. Nam sequitur: Et dixerunt ei: Numquid et tu galyleus es? **Aug.** id est quasi a galyleo seductus. Dominus enim galyleus dicebatur, quoniam de Nazareth civitate erant parentes eius. Secundum Mariam dixi parentes, non secundum virile semen. **Crisostomus.** Deinde iniuriose quasi eo nesciente scripturas induxerunt: Scrutare scripturas et vide quia propheta a galylea non surgit. Ac si dicerent: vade et disce. **Alchuinus.** Non enim locum nativitatis sed communicationem attendebant. Et ideo non solum messiam sed nec prophetam eum credebant. **Aug.** Propheta quidem a galylea non surgit, sed dominus prophetarum inde surrexit. Sequitur: Et reversi sunt unusquisque in domum suam. **Alchuinus.** Nullo perfecto negotio, vacui fide et frustrati voluntate, sunt reversi in domum infidelitatis et impietatis sue. **Alchuinus.**